



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ludovico Magno Panegyricus

Orléans, Pierre Joseph d'

Rothomagi, 1673

Illustrissimo Viro Clavdio Pellot Senatus Normanniæ Principi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12209



ILLUSTRISSIMO VIRO
CLAUDIO PELLOTT
SENATUS NORMANNIÆ
PRINCIP I.



*ACTVS sum, VIR
ILLVSTRISIME,
quod ne in animum qui-
dem venisset optare, unde
offerrem tibi dignum te, dignum Se-
natus principe munus, Regis imagi-
nem. Quæ etsi est adumbrata hic à me*

potius, quam expressa ad vivum; quis enim, nisi Apelles sit, bene Alexandrum pingat? habet hæc lineamenta certe, ex quibus Regum maximum populi discernant à Regibus cæteris, Tu earum virtutum exemplar, quas tibi proposueris ad imitationem, agnoscas.

Representabit illa tibi nempe, quam sectaris, dignam summi Magistratus splendore vita magnificentiam. Exhibebit, quam in te effinxisti, in audiendis supplicibus benignitatem, in causis discutiendis diligentiam, in contentionibus dirimendis æquitatem. Revocabit in memoriam à quo acceperis assiduitatem tantam in confessibus, tam constans tricarum forensium odium, tam incorruptum,

*tam inaccessum gratia & largitionibus animum. Ponet ob oculos, quam adeo fœliciter es imitatus, artem con-
dienda morum elegantia gravitatis, qua sic judicem agis, ut nihil omittas quod sit urbani viri, sic privata vitæ colis officia, nihil ut de personæ publicæ dignitate remittas. Dignus eo Rege Minister, qui Rex orbis terrarum maximus, vir regni sui numeris omnibus absolutissimus esse dicitur.*

Inchoavit has in te quidem natura dotes, cum natum ad summa quæque animum indidit; corroboravit institutio, cum excultum literis politioribus ingenium finxit ad omnem humanitatem; perfecit vero Regis exemplum, cujus acturum te pro dignitate vices non putasti, nisi commissam tibi Rei-

*publica partem, iisdem quibus ipse
totam regit, virtutibus administrares.
Vale. Offerebat Rothomagi Kal. Ian.
anno M. DC. LXXIII.*

A. T.

Addictissimus
PETRUS JOSEPHUS D'ORLEANS,
S. J.